
PROGRAMMA
QVO
UNIVERSITATIS. ROSTOCH: RECTOR
D. BERNHARDUS BARNSTORFF
POLIATER. ET. MEDIC: PROF: PUBL:
ACADEMIÆ. CIVIBUS
SUB. QVADRAGESIMÆ. TEMPUS. TRANQVILLUM. PIETATIS. STUDIUM
ATQVE
E. JESU. CHRISTI. SANGVINE
MEDICINAM TRANSFUSORIAM
PRÆSCRIBIT



ROSTOCHII,
Typis JOH. WEPPLINGII, Univ. Typogr.

102



Oleo, Cives vere ineunte impuri ſanguinis ſvadere remedia: Vobis autem medicinam nunc ſuppeditabo, eamqve ex ſanguine faciendam. Qvodagens tempori non minus inſervio, qvam in ſanandis Corporibus. Namq; ſi verna tempeſtate perpurgando ſanguini conſulitur; qvia tum herbæ recentes è terra prorumpunt & medici manum qvaſi denuo contra morbos armant: tum præſens conſilium ex ipſo tempore capio; qvo cruentæ mortis, qva ſalutem noſtram Servator humani generis præparavit, memoria recoli incipit. Qvod nam ergo vobis aut tutius aut magis profuturum ſvadeam remedium, qvam Chriſti ſanguinem in animas veſtras fideliter transfundere? Rerum medicarum conſulti maximo qvidem opere circa illud artificii genus deſudarunt, an de corpore in corpus poſſit vivus transfundi ſanguis, eoqve facto juventus ſenili, integritas corrupto atqve vita moribundo reſtitui? Idem vero illis, qvod plerisqve hominum conſiliis accidit: Ut ſæpe fallatur opinio concepta, & ipſa fallat adhuc freqventius. An vero Chriſti ſanguis in fidelem poſſit derivari animam? nihil prorſus habet in conſilio ambigui, nil in autoritate dubii, nihil in exercitio impedimenti, nihil deniqve in effectu habet inconſtantiæ. Iſtam medicinam auguſtiſſimo Sacroſanctæ Trinitatis conſi-
Eph.1.4. lio debemus, ſiqvidem in Chriſto, eodemqve per ſanguinem proprium peccata noſtra expiaturo ante mundi jacta fundamenta dilecti ſumus. Nihil iſta medicina potius eſt, nihil antiqvius, qvæ ante deſtinata fuit, qvam ullus noſtrum mortalis eſſe, aut male agere inciperet. Altercentur qvantavis animorum contentione inter ſe vel Britanni vel Galli, de excogitatæ transfuſionis ejusqve proceſſus gloria: noſtra ſane transfuſio originis vere divinæ eſt, & æqvaliter in univerſas porrigitur gentes. Inter Anglos primus eſſe creditur *Richardus Lowerus* atqve poſt eundem *Edmundus Kingk.* qvi abhinc duo de qvadraginta annis animalium ſanguinem

ita



ita permutarit: è Gallis autem primum in hominis corpore periculum fecisse putatur *Mr. Denis*. Ea vero inventorum fides suspecta haberi cœpit, postquam ex *Libavii* disputatione contra qvendam Paracelsi pullum fatentibus Gallis adeo bene transfusionem describente, uti nihil possit clarius; saltim illud innotuit, qvod rei modus plus qvinqvaginta annis ante circumferri cœperit. Ipse incidi non ita pridem in locum qvendam *Campanellæ*, qvi plus fuit qvam Philosophus, nihil minus qvam Theologus, qvem de eodem transfusionis negotio accipiendum suspicor: Sic enim postqvam de mutandis affectibus dicere aggressus est, deinceps scribit: *Unde magus doctrinam elicere queat inducendi quamlibet affectionem atque sanandi. Sicut humi seminantur & evelluntur semina. Contrarium expellit contrarium, magis autem si applicetur interius quam exterius, simile educit simile, magis quidem applicatum deforis quam intrinsecus. Simul commixta duplicem pariunt effectum, vel dupliciter aut utroque modo operari possunt. Qui potest capere capiat.* Imo non desunt qvi ulterius conjiciendo progrediantur & *Marsilio Ficino* seculi XV. scriptore, qui Platonem erudito orbi adseruit, peritiam transfusoriæ sanguinis medicinæ adscribunt, eo qvod alicubi *senibus decrepitis suadeat sugere hirudinum more ex adolescente, læto temperato atque sanguine abundante ejusque sinistri brachii vena vix aperta unciam unam aut duas, quo juvenescat.* Hinc sponte consequitur veteres artem istam non omnino ignorasse, qvamqvam serius exerceri cœperit. Cui rationi imago inest Christianæ transfusionis. qvæ non heri demum aut nudius tertius cognita esse cœpit; sed veteris instrumenti fidelibus perspecta fuit atque in salutem conversa, qvanqvam ipsa domini mors & redemtionis exercitium ipsorum fidem inseqveretur. Est autem chirurgica illa trransfusio sanguinis genus medicinæ, qvo tubulorum aut canalium artis lege adornatorum ope ex uno animali in aliud per incisos venarum principum ductus creditur ita derivari posse vivus sanguis, ut post acceptum alienum sanguinem animal antehâc ægrum plene convalescat. Res ea uti pleraq; solent primum excogitata in principio variis fuit impedita molestiis

de sensu rer. & Magia L. IV. c. 13.

L. II. de studios. Sanit. tuenda C. conf. Paschi Inventa Nov. Ant p. 305.

donec facilior qvidem & satis expedita methodus reperta fuit: qvæ tamen, qvia hominum vita in discrimine est, aut nullis, aut paucissimis exemplis confirmata est: atqve in animalibus brutis aliqvando feliciter cessit, vix qvoqvam è medicis circa hominem rem freqventius experiri ausо. Licebit mihi hæc omnia ex mea arte in sacrum transferre mysterium: eadem forte non magis indigna, qvamsi sanctissima fides sub agriculturæ aut mercatus, aut piscationis figura repræsentatur. Qvemadmodum ergo hoc medicinæ genus ex sanguine est, qvi ex alieno in ægrum Corpus ita transit, ut illi existat proprius atqve vitales in illo motus exerceat: Sic medicina animæ est è sanguine Christi: qvi in justificationis negotio ita occupat fidelem animam, ut ipsi velut insitus aut congenitus esse videatur. Sed in humana illa transfusione ea omnium nobilissima ratio esse videtur, qva de homine in hominem vitalis liqvor transfunditur; cum ex bestiis facta derivatio suspecta non immerito reputetur, & varia postse trahat incommoda: Ast animæ multo adhuc minus medebitur vel oceanus alieno cruentatus sanguine. Potuit sane olim sanguis taurorum hircorumqve emundare corporis inqvinamenta. Sed Christi sanguis illa est medicina, qvæ conscientiam operibus mortuis subactam vitæ restituit. Inter ipsos medendi artifices male solet audire transfusionis inventum, qvia contra naturam fit, & æqve alienum â genuina corporum nutritione, *quam si quis in domum, quam ordinaria via ingredi deberet, sese per fenestram injiceret*: Qvamqvam opponant qvi ex altera parte versantur; in *rebus Medicis atque Physicis solam experientiam peremtorie decernere, eaque teste frustra esse quævis ratiocinia.* Idem vero de Christiana transfusione multo magis valet; qvæ supra omnem naturæ captum est, atque rationis judicio exposita ineptiis accensetur, ipsa de cœtero invicto divinæ veritatis fundamento superimposita atqve tot cœlitum salutari experimento comprobata. Solet fieri transfusio in corporibus adminiculo tubulorum aut canalium è qvacunqve habili materia confectorum, qvi ab utraqve extrema parte hinc in emittentis inde in recipientis venam intruduntur, tum tractus intermedius tepidæ

Ebr. IX.13.f.

conf. Journal. de Scavans. T.IV. p. 22. vid. Act. Angl. A.67. p. 455.

pidæ

pidæ aqvæ vaporibus aut qvovis calore alio refocillatur. Nullo sane pretio satis æstimari potest Fides, Sacrosanctum illud instrumentum, per qvod Christi sanguis in animum credentis defluit: ea namqve, qva parte divinus sanguis effunditur, infallibilem verbi divini veritatem habet; atqve in illo extremo, qvod animam fidelem attingit, indubiam habet fiduciam; ex reliqvo autem ardentissimo ac reciproco Jesu ac animæ amore inflammatur qvasi atqve incalescit. Licet observari, qvod cum primi inventores periclitati sint suam transfundendi ἐγχειρέσιν, multa opus fuisse venarum ligatura nodulisqve, qveis dissecta arteria utrinqve constringeretur. Cui tamen *Emmeresius* quidam *Parisiensis Chirurgus* substituit artem *tanta cum facilitate exercendi transfusionem sola punctione ac sine ulla ligatura, non secus atque in Phlebotamia fieri assolet*, Qvo facto cessabunt multa: qvibus in priori illa ratione æger, non potest fieri, qvin misere excrucietur. Mihi nullus durior nodus, nulla doloris species accutior accidere posse videtur, qvam qvod in pristino gratiæ fœdere majores tot rituum stricturis, tot vinculis cæremoniarum, tot cultus externi molestiis impliciti fuerint: pro qvibus nostra ætate per svavissimum Evangelii onus ab his talibus aurea libertas successit. Ordinarie solet infundi sanguis venarum carothidum alicui, aut brachii, aut, ex sententia *celeberr. Noricorum Medici Hoffmanni*, venis, qvæ supra transversam manum prominent. Divinæ autem, qvæ justum facit peccatorem per Christi meritum operationi, omnium maxime præcipua pars, nempe anima inservit; Huic primum salutaris medicina instillatur, virtutem tam late pandens, ut non modo animam sibi ipsi restituat, sed corpus qvoqve ipsum vitæ æternæ seminibus initiet, Neqve enim quod *Denisio* civis ipsius *Euryphron* objicit de medicina transfusoria, fore ut animali seu homine emittente aut recipiente morte prærepto, reliqua pars propter commercium sanguinis atque Spiritus vitalis ipsum putrescere occipiat, hic locum habet: qvippe Christus mortem prorsus ignorat homo autem illius sanguine sanatus etiam si mortem oppetat, valet tamen illud: *qvisqvis meum hauserit sanguinem, is vitam æternam*

vid. Act. Angl. A. 67. p. 364.

vid. Sturm. Phil. Eclect. T. 1. Diss. 10 p. 495

nam

nam consequetur, atque ipse eundem novissime faciam resurgere. Qvid si humana arte id inveniri potuit ut ex animante validò atqve integro in aliud ægrum atqve tabidum sanguis transfusus sit; atque scabiosus ille & impurus latex sincero animali restitutus fuerit eo effectu, ut convaluerit ægrum, alterum vero nil detrimenti ceperit aut contagii? Quid inqvam, futurum esse putatis de nostra medicina transfusoria? annon multo perfectius Christi sanguine omnia nostra eluentur peccata, annon nos ex ipsius vulneribus sanabimur, recepto generosæ ac divinæ indolis sanguine? neque tamen ipse ideo fiet deterior qvamvis omnem nostram culpam ipse recipiat? Usus docuit artifices, partim debilitari in naturalis transfusione sanguinis corpus recipiens item ac emittens, atqve hoc etiam interdum plane deficere; partim etiam antea è morbido corpore educi debere vitiosum liqvorem, qvo spatium illabendi detur novo ac meliori, unde & qvidam in illam abeunt sententiam *magis evacutione, quam restitutione sanguinis prodesse transfusiouem*: dehinc etiam non posse novum immitt vel permisceri cum altero sanguinem sine vehementiori qvadam fermentatione. Quæ omnia modo si unum excipias, de majori usu transfusionis per exonerationem pristini, qvam novi accessionem (qvippe qvod vix sine Pontificiæ Superstitionis nota huc tranferretur) ad præsens negotium omnino pertinent. Namq; vetus homo ejusq; vires frangi debent ac prosterni in homine; Christo autem hoc medicinæ genus ipsa morte constitit. Porro qvando sanguinis dominici virtutem nobis adserimus; primo evacuari debet animus peccati vinculis & superbo carnis dominio. Deniqve nullus tantopere effervescit aut repugnat alteri contrarius sanguis; qvin lucta carnis atqve Spiritus intra animum sit fervidior atqve incitatior. Nolo nunc plura in eam rem addere, neq; enim volenti qvicqvam porro dicere alia argumenta suppeterent; qvam qvæ infinitis modis nostram hanc animæ medicinam præstare alteri evincerent. Cum enim de illa tenuiter vel ipsi autores sentiant, alii penitus desperent, atq; etiam mihi recte observasse videatur *Cl. Sturmius* circa opinionem Cl, cujusdam Medici de odio inter amicos

Job VI. 45. — conf. Act. Angl. A. 67. p. 363. — Phil. Ecl. T. I. disp. 10. p. 523.

amicos fratres aut conjuges enato per hanc transfusionem superando; non, si corpus qveat, eandem posse sanare pravas mentis opiniones aut voluntatis vitia. Hic non potest res effectu carere, modo ipsa mens temere non resistat aut acceptum profundat beneficium. Nihil certius est atqve divinius ea veritate, ipsam mentem nostram in melius tum converti. Qvid enim est qvod Scribit Apostolus: esse amorem Dei in corda fidelium effusum. At vero qvid est amor Dei erga nos, qvam qvod filium suum nostri causa morti tradiderit? Nullus etenim tenerior est atqve potior amor eo ipso, qvod vitam qvis pro altero deponat: qvod effuso largiter sanguine ipsâqve adeo cum eodem vita fecit Servator. Avertat â vobis divina clementia, Cives, ne cuiqvam vestrum illud circa animæ curam eveniat qvod in chirurgica transfusione accidere iis consvevit, qvibus viscera nimium corrupta sunt: ut, mortem citius medicina accersat qvam valetudinem promoveat. Ah! Credite mihi idem posse illis accidere qvi animo nimis impuro ac ad fidem emortuo Sacrum hunc diripiunt sanguinem: ut accersant sibi ipsi exitiale judicium non discernendo dominicum Sanguinem. Durissime istiusmodi aminis interminatur idem divinus scriptor, qvi profanent sanguinem divini fœderis, qvo sanctos eosdem præstiterit. Hujus effugiendæ calamitatis vere acerbæ, qvamqvam omni tempore vos dedeceat ansam negligere, tamen præsenti hoc omnium studiosissime captari debet: qvo morientis Jesu memoriam resuscitamus. Credite mihi, non qvidem ex moroso altercandi aut objurgandi studio, cujus sane (qvod ad vestram laudem meamqve scribo gloriam) nulla mihi hactenus causa fuit, scribenti: qvod si tam multiplicem tamqve sanctam, qvæ nunc undiqve nobis affertur, Christum patientem mortuumq; salutariter cognoscendi facultatem neglexeritis aut præterire sinatis: hanc ipsam aliqvando in vestram perniciem inq; vestram condemnationem iri conversum. Qvæso vos ergo per vestram salutem, perq; tot animæ tot corpori Servatoris inflictos vestra causa dolores, per sancta ejus vulnera ac mortem innocuam, accedite ad propitiatorium præsentissima fide adspersi corda vestro Divino

Rom. V. 5.

Joh. XV. 13.

vid. Act. Angl. A. 67. p. 420. & 457

1 Cor. XI. 29

Ebr. X. 29.

Divino ejus sanguine. Ecce vobis Jesu patientis nunc denuo oblatam imaginem: Hanc qvæso intuemini, ut in ipso ærumnarum discrimine exsudet Sanguinem; ut idem ille

Luc. XXII. 44. constagnatus atqve in grumas (θρόμβους) collectus non aliter in terram procidat, qvasi nemo tam æger, nemo tam ad convalescendum avidus sit, qvi prius calidum recipiat sanguinem, qvam ipse coalescat: ut imbres cruenti ex tot flagellorum ictibus per universum corpus depluant: ut caput elicito colaphis atqve spinarum punctibus sanguine madeat: ut tandem ex aperto latere qvicqvid erat sanguinis reliqvum prorumpat. Accurrite, ite omnes intendite nervos omnes pandite animi recessus ut isthoc rore irrigemini, atque hæc vobis medicina prosit. Haurite pretiossimum hunc sanguinem, atque patiamini, qvo is mentem vestram ac studia itemq; actiones vitali Spiritus calore impellat: sic gratus erunt opera vestra odor divinis naribus, atq; felicius inde emerget per sanguinem facta ac conciliata DEI in vos benevolentia; qvam illi, de qvo fabulam mihi attulisse videtur *Theodorus* quidam Moretus; qvod rosas suo sanguine diu ante præparatas principi prius à se alieno freqventer dederit, qvi cum odore simul singularem viri amorem attraxerit.

Grub. de Transpl. morb. p. 62.

Nolite autem nunc expectare, ut vos commonefaciam, qvo tempus, qvod qvadragesimale vocant, pacate ac uti fecistis hactenus, honeste atqve egregie transigatis: neqve enim aliter de vobis sperare hucusqve didici, atqve in vulgari etiam illa corporum cura experientiam habeo testem; eos, qui sanguinem salutarem venis imbiberunt, semper quietos esse ac tranquillos, qvo promtius miros edet effactus MEDICINA TRANSFUSORIA.

Τό αἷμα Ἰησοῦ Χριστοῦ τοῦ υἱοῦ θεοῦ καθαρίζει ἡμᾶς ἀπὸ πάσης ἁμαρτίας.

P. P. Dominica Estomihi, Sub Sigillo Rectoratus, A. 1703.